



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quare sit institutum sabbathum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

tenetur punire delicta externa aduersus omnia præcepta Dei: punire igitur debet etiam periuria, contumelias externas & blasphemias nominis Dei, Epicureos sermones, atroces execrationes, idololatrias, & imprimis hæreticos ferentes falsa & impia dogmata, impios cultus, quos nouit esse falsos, &c. Et omnem talem magistratum vult Deus iterum glorificare & extollere, quòd sic eum glorificârunt, 1. Reg. cap. 2.

TERTIVM DEI PRÆCEPTUM, Memento vt diem sabbathi &c. Exod. 20.

CAP. VI

ARGVMENTA.

1. *Quare sit institutum sabbathum.*
2. *Quid sit feriari, & etiam sanctificare feriam.*
3. *Quomodo contemptores huius præcepti puniantur, atq; puniuntur hic & aternaliter.*

I.



Vdæis fuit præceptum in veteri testamento, cum diligentia feriari sabbathum Exo. 20. sic, vt non auderent incendere ignem ad focû in domibus suis, Exo. 22. & minitabatur lex trãsgressoribus mortem, Exo. 31. Sic etiã contigit Num. 15. Ideò Deus non dedit illis Manna in deserto in sabbatho, ne colligerent & frangeret sabbathum. Vnde in duplo antequam sabbathi colligebant Exo. 16. Tale autem præceptum dedit eis Deus primò in signû inter Deum & populum suum atq; posteritatē illorum: nam Gentes nõ colunt sabbathû, ideò vt scirent Iudæi, quoniam Dominus minus esset qui eos sanctificaret, dedit hoc signum.

Exo.

Exod. 31. Deindè, quòd Deus requieuit septimo die, postquam per sex dies omnia creáffet. Gen. 1. Postremò, vt Iudæi saltē semel in hebdomada haberent diē, in qua audirēt præcepta Dei, cum aliās negotijs suis essent occupati: in super, vt serui & ancillæ eorum atque iumenta se refrigerarent, & quiescerent post multos exhaustos per hebdomadam labores. Sic cohibuit Deus Iudæos lege sabbathi, vt essent distincti à Gentibus: & hoc obseruabant tam strictè, quòd permittebant se occidi potiùs quàm violare sabbathum, 2. Machab. 6. At nos Christiani in noua lege, nō sumus ampliùs subiecti huiusmodi præceptis aut discrimini dierum, volucrum, quadrupedum, sicut Iudæi, sed libertate donati sumus per Christum. Galat. 5. Vocati estis in libertatem. Ideò non possumus ferari diem qualem voluerimus, sic comedere etiam cibum volucrum & quadrupedum, qui in lege prohibitus fuerat, saltem vt feria seruetur: Est quidem species istius præcepti abrogata, id est, septimus dies siue sabbathum, quia Christiani liberi sunt à cæremonijs Moysaicis. Sed genus quod in hoc præcepto continetur, id est, opus ipsum nō est abrogatum: Habemus enim præceptum diuinum de opere, scilicet vt feriam sanctificemus, licet non habeamus præceptum de die certo: ideò propter hanc libertatem conseruandam, nos sabbathum non feriamur sicut Iudæi, sed Dominicam diē, & aliquot alios dies secundum institutionem Maiorum nostrorum. Est etiam hoc præceptum de cæremonijs & vsu cæremoniarum, scilicet quòd conseruandæ sint cæremoniæ & ferix propter ministerium verbi: oportet enim existere aliquas cæremonias, quæ sunt notæ, & ad testimonium verbi Dei, ad eiusque maiestatem faciunt: potissima verò ratio ferix est, vt verbum DEI denunciatur, quo doceantur homines quæ facere, & quæ credere debeant: hoc maximè est necessarium saluti animæ nostræ. Cum

igitur per alios dies consulamus necessitati corporis in victu & amictu, vult quoq; Deus vt etiam vna die consulamus animæ nostræ audiendo verbum eius sanctum, Oremus, Deo gratias agamus &c.

2.

Secundò, dicit Deus: Memēto vt diem sabbathi sanctifices & ferieris: non dicit, facias hoc vel illud opus in sabbatho, sed solùm feriare. Nam sunt quedam opera bona, quibus solùm proximo seruiamus, sicut prædicare, defendere, regere, dare eleemosynam, curare pro communi pace, reconciliari proximo, Mat. quinto, &cæt. quæ opera maximè Deo placent ex dilectione CHRISTI facta proximo: & ideò non sunt præmittēda in nostro sabbatho, quia & Deus illa opera præcepit, & licet fecerimus hæc opera, solùm tamen seruiamus proximo propter Dominum. Sed quandò ipsimet DEO seruire volumus cum tali bono opere, quod nō proximum, sed solùm Deum respicit, tunc non debemus aliquod bonum opus extrà facere, sed solam feriam DEO seruare, id est, vt qui vult Deo seruare feriam, quiescat ab operibus externis, & permittat sibi Deum nostrum bonum intùs facere, & posthac agat gratias DEO, laudet & glorificet: hoc est potissimum seruitium & maximus cultus Dei, quem ipsi in vita nostra facere possimus. Sed tunc quiescimus, feriamur & sanctificamur feriam, quandò circa res & causas sanctas occupamur: hoc autem maximè fit, quandò audimus verbum Dei, & addiscimus quid facere & credere debeamus: aut dum ad sacramentum accedimus, ob consolationem conscientiæ & confortationem fidei dei: aut dum oramus deuotè, vt Deus largiatur nobis quæ indigemus, & vt ab omni malo liberet & conseruet nos, &cæt. Ideò Deus potius seruit nobis sabbatho, quàm nos illi. Nam per verbum docet, per sacramenta confortat, orationes exaudit. Ideò restituitur
feriam